



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Praxis Meditationum S.P. Ignatii Loyolae**

**Diertins, Joseph**

**Solisbaci, 1708**

Med. 6. Generis. 1. De pœnis peccati in lege Naturæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60232](#)

interponere unam, vel duas repetitiones; & sic totidem quaternarios, vel quinarios ordines habebit, qui in secessu Exercitiorum annuo, uno die absolvantur; extra illum secessum in decursu anni, potest quivis ordo in plures dies distribui.

Ordines ipsos non numerabimus, sed unicuique meditationi apponemus notam cuius sit Generis hoc modo: G. 1. vel G. 2. vel G. 3.

## MEDITATIO VI. G. I.

### *De pœnis peccati in lege naturæ.*

**CONGRUA.** Quomodo lex naturalis, quamvis Galia non esset, peccatores reos faciat.

**PRÆL. I.** Videre animam nostram sub lege naturali, tamquam sub severo inspectore & vindice positam.

**PRÆL. II.** Petere gratiam, peccata ipsa cognoscendi, quanta sit fœditas, & nequitia singulorum ex natura suâ, si vel prohibita non essent.

**PUNCTUM I. MEMORIA.** Interfecto Abele, dixit Dominus ad Cain. Gen. 4. *Quid fecisti? vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.*

**INTEL.** Nondum erat scripta lex; non occides: Exo. 20. sed erat lex nobis innata. Causa homicidi fuit, quod Cain malè uteretur rebus creatis in Sacrificio, & parcè offerret de fructibus terra munera Domino. Abel verò, utens rectè rebus creatis, debito modo, *Obtulit de primogenitis gregie sui.* Hinc invidia, quod Sacrificium Abelis Deo

B;

place-

placeret: & ex hoc peccato capitali ortum homicidium. Post quod secura est pœna: *Nunc igitur maledictus eris super terram.* &c. Gen. 4. REFL. Interrogemus quoque nos ipsos: *Quid fecisti?* & examinemus pravos rerum creatarum usus.

VOL. Intimè doleamus, quod Dei bonitatem itâ offenderimus, abutendo donis ipsius, ob quæ super omnia diligi meretur.

**PUNCTUM II.** MEM. Recordemur quomodo non obstantibus variis severis Justitiæ divinæ exemplis totum genus humanum paulatim deflexerit à viâ salutis, & finis, ad quem Deus hominem creaverat. *Omnis quippe cara corruperat viam suam.* Gen. 6.

INTEL. Consideremus hominum cœcitatem; sciebant pœnam inflictam primis Parentibus totique generi humano: sciebant supplicium Cain, non ignorabant lapsum Angelorum, & tamen Deum, qui ob bonitatem suam solus super omnia diligendus erat, dereliquerunt, negligentes laudem & servitium ejus, ad quod erant creati. Itâ ut communis pœna inficta fuerit: *Factumque est diluvium... & delevit omnem substantiam, quæ erat super terram ab homine, usque ad pecus.* Gen. 7. REFL. Inspiciamus vias nostras, & videamus an etiam in multis non sint corruptæ.

VOL. Confiteamur Deo perversitatem viarum nostrarum. Laudemus misericordiam ejus, qui hactenus nobis pepertit. Dicamus cum Davide Ps. 118. *Cogitavi vias meas, & converti pedes meos in testimonia tua.*

PUN-

**PUNCTUM III. MEM.** Recordemur post diluvium peccata Sodomitæ: *Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ... Superbia, Saturitas panis, & abundans otium ipsius, & filiarum ejus: & manum egeno & pauperi non porrigebant... & fecerunt abominationes coram me.* Ezech. 16.

**INTEL.** Consideremus singula, & patebit, quod turpissimè abusi sint Sodomitæ divitiis, honore, aliisque rebus creatis contra finem creationis. Hinc justa poena. *Dominus pluit super Sodomam & Gomorrhām sulphur & ignem à Dominō de Cælo, & subvertit Civitates has, & omnem circa Regionem, universos habitatores Urbium, & cuncta terræ videntia.* Gen. 19. **REFL.** Examinemus nos quoque in illis, in Superbiâ, & in usû rerum coeterarum contra finem.

**VOL.** Agnoscamus sicut in primo Exercitio agnovimus, has poenas, atque etiam æternas iuste deberi peccatis. Fateamur nos quoque reos, detestemur nostram stultitiam, quod contrâ Creatorem nostrum, summè diligendum, ita rebelles fuerimus.

**COLLOQ.** Ad Christum Crucifixum, gratias agendo, quod ipse poenas, quas meriti sumus, Passione sua redemerit: Excitemus interea actus veræ contritionis, & perfectæ charitatis, **RECOLLECTIO.**